Alphabetū diuini amoris: varios tradēs modos ⁊ vias ſecūduz diuerſos alphabeti ordines: quibus humana mēs in deum eleuatur: Feliciter Incipit.

Proemium

AD honorem omnipotentis dei aliquos modos ⁊ vias pro eleuatione mentis in deū: ꝓpono cōſcribere. Et quāuis hoc nō ſit currētis neqȝ volētis ſed dei miſerentis: tñ cū dei adiutorio habitis exercitijs ⁊ modis: multo facili⁹ poteſt ſe quis eleuare. Unde primo ſciendū: ꝙ diuerſi diuerſaſ ponūt diſpoſitioneſ.

Beatus Anſelmus in ſuis meditationibus incipit per viam timoris: Et hec eſt via inchoatiua.

Beat⁹ Dionyſi⁹ ponit tres vias: ſcilicet purgatiuam: qua primo homo purgat ⁊ mundat ꝯſcientiā ſuā per penitentiā. Viā illuminatiuā: qua ſcȝ ſe hō accendat in amorē dei ꝑ memoriā et gratitudinem beneficioꝝ dei. Quia ſic dicit Auguſtin⁹ in meditationibus ſuis: Ad deū diligēdum: nihil tantū valet ſicut beneficiorū eius frequēs meditatio. Tertia eſt vnitiua: qua homo ꝑ amoroſam cognitionē ⁊ adheſionē vnit ſūmo bono: cōgratulādo ꝑfectiōib⁹ ſuis: et totū ſe ei intime ſubijciendo ꝓmptiſſima voluntate. Beatus Benedictus ponit viā inſtructiuā.

A beato Gregorio elicit modus exēplatiuus. Bernardus Caſſienſis dicit ꝙ oportet: Primo meditari que inducūt timorē. Scdo que ꝓuocāt imitationē ad vitā ſanctoꝝ. Tertio ea q̄ inducūt ſpem

futuroꝝ et gaudia ſanctoꝝ. ¶ Itē Johānes Ger-
ſon cancellarius pariſienſis dicit: ꝙ ad dei timorē ꝑ
uenit per ꝯpunctionē: admirationē ⁊ exultationē.
Bonauētura dicit ꝙ ad h͛ valent tria: ſcilicet diuina
reuerentia: oꝛationū ſuffragia: ⁊ beniuolētia: h͛ ē: ꝙ
homo reputet ſe indignum tot ⁊ tanta beneficia a
ſūmo bono percepiſſe: offerens bonā volūtatem ſu
am ad gratitudinē oīm. ¶ Itē Beato Hieronymo
poteſt aſſcribi vita ꝑegrinatiua: hoc eſt: quō domi-
nus Jeſus in hoc mūdo vitā duxerit tanq̄ꝫ ꝑegri-
nus. Beato Ambroſio: via ꝯpatiua. Sācto Frā
ciſco: via cōpaſſiua. ¶ Sācto Bernardo: via affecti
ua. Beato Auguſtino: ſuplatiua. Hugoni: oꝛatiua:
Sancto Gregoꝛio: exultatiua. ¶ Eſt tn̄ veruꝫ: ꝙ q̄-
libet eoꝝ plures vias habuit. Sꝫ he quaſi exempla
riter eis aſſcripte ſunt. Et quia diuerſi amatoꝛes di-
uerſis mouent modis: ideo diuerſe hic ponunt vie.
¶ In generali tn̄ ſciendū eſt: ꝙ volens videre dilec
tū ſuū Jeſū: Primo mundet oculos ſi ſunt turbidi
aut tepidi: Et hec ē via purgatiua. Deinde ſi ſūt te
nebꝛe: accēdat lucernā vt clare ipſū videat: Et h͛ eſt
via illuminatiua. Deīde appꝛopinquet: ⁊ ꝓ reueren
tia ꝓcidat āte pedes eiꝰ. Deīceps eleuat a dilecto:
poꝛrecta ei manu. Deinde ſuſcipit ad oſculū pacis.
Deinde affabiliter ei loquit: cupit ſemꝑ manere cuꝫ
eo: liqueſcit in eius pn̄tia: langueſcit in eiꝰ abſentia:
querit: vocat. ſuſpirat. Inuentū denuo tenet: in eiꝰ
amoꝛe ardet: alia faſtidit: ſoli illi adherere volēs: Et
hec eſt via vnitiua. Et poſt longū tempꝰ in eo qui-
etatur: ita vt in pace factus ſit locus eius. ¶ Ex his
⁊ alijs pn̄t elici q̄ndeci vie ꝓcedētes ī amoꝛē xpi. Et